Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1547
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Nec tamen omne quod dicitur
secundum substantiam dicitur.
In rebus enim creatis atque mu-
tabilibus quod non secundum
substantiam dicitur. restat
ut secundum accidens dicatur.
Omnia enim accidunt eis
que uel amitti possunt
uel minui. et magnitudines
et qualitates. et quod ad aliquid
dicitur sicut amicitie, propin-
quitates, seruitutes. simi-
litudines. et equalitates.
et si qua huiusmodi. Et
situs. et habitus. et loca. et
tempora. et opera. atque sessiones.
In deo autem nichil quidem
secundum accidens dicitur. quia
nichil in eo mutabile est.
Nec tamen omne quod dicitur
secundum substantiam dicitur.
Dicitur enim ad aliquid. sicut
pater ad filium. et filius
ad patrem. quod non est
accidens. quia et ille semper
pater. et ille semper filius.
et non ita semper quasi
ex quo natus est filius. ut
ex eo quod numquam
desinat esse filius. pater
esse non desinat pater. Sed
ex eo quod semper natus est
filius. nec cepit umquam

esse filius. Quod si aliquando cat
esse. Vel propter meam eloqui
difficultatem non intellegit.
sicut ego eis ignosco. ubi
propter suam tarditatem in-
tellegere non possunt. faci-
lius autem nobis inuicem igno-
scimus si nouerimus. aut
certe credendo firmum te-
nuerimus ea que de natura
incommutabili. et inuisibili
summeque uiuente. ac sibi
sufficiente dicuntur. non ex
consuetudine uisibilium.
atque mutabilium et mor-
talium. uel egenarum
rerum esse metienda. sed
cum his etiam que nostris
corporalibus adiacent sen-
sibus. Vel quod nos ipsi
in interiore homine sumus.
scientia conprehendendis
laboremus. nec sufficiamus.
non tamen enim pudenter
in illa que supra sunt di-
uina. et ineffabilia pietas
fidelis adescit. non quam
suarum uirium inflat arro-
gantia. sed quam gratia ipsius
creatoris et saluatoris in-
flammat. Nam quo in-
tellectu homo deum capit.
per ipsum intellectum suum